



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectvra Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

Admod. Rever. Et Eximio Viro Ac Domino Arnoldo Meshovio SS. Theologiæ  
Doctori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](#)

ADMOD. REVER.

ET

EXIMIO VIRO AC DOMINO  
ARNOLDO MESHOVIO  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI.  
PAROCHIÆ S. PETRI APVD VBIOS

PASTORI:

*Vniuersitatis Coloniensis*  
RECTORI MAGNIFICO  
MAXIMILIANVS SANDÆVS.

 E mireris, Magnifice D. quod Vo-  
lumen isthuc de ARCHITECTURA  
TIBI inscriptum dedicauerim. Cui  
enim conuenientius Opus de Ar-  
chitectura offerrem, legendum, censendum,  
probandum, quam Architecto: Iam dudum sa-  
nè Architecturam, non quidem Vitruianam  
Marlianam, Florentinam, aut alterius Magistri  
profanam; sed quam in his Opusculis trado &  
pertracto, Sacram & Christianam exercuisti  
strenue, in ea veteranus.

Es imprimis Amator veræ Sapientiæ, & Vir-  
tutis Christianæ studiosus, quod tot annis pro-  
basti, quibus minor in litterarum studio agens

A 2 con-

## RECTORI MAGNIFICO

consodalibus tuis palmam præripuisti. Talem autem esse Ædificatorem, & si excellat, Architectum Pauli illud effatum conuincit. (a) *Ædificare alterutrum*: & declarant illæ loquutionū formulæ, quibus veræ Sapientiæ Magister suos auditores & discipulos Structori comparare, vel ipsorum molitiones actionesq; ad Architectonicæ normam consuevit exigere, quales passim in Volumine Diuino occurrunt. Certè, Christus Dominus vniuersim Auditorem factoréq; verborum suorum dicit similem Viro Sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram; audentem autem & non operantem stulto ædificanti super arenam (b) Itaque utrumque insinuat esse Architectum; illum bonum, hunc malum. Alio tempore & loco, ad perfectionem virtutum Euangelicam, eiusq; apicem præpropterè temereq; contendente absq; matura liberatione ac præparatione debita cōfert cum homine volente Turrim ædificare, nec prius impēdiorum sumptuumq; rationem ineunte, cui deinde dicatur: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* (c) Cùm de profectu in fide & virtutū exercitio differeret Lucas Diuinus historicus in Actibus Apostolicis compēdio multa includens capite ix. (d) aiebat: *Ecclesia per totam Iudeam, & Galileam & Samariam habebat pacem & ÆDIFICABATVR.* Vbi Ædificādi verbum

(a) *Ad Thess. i. v. 11.* (b) *Math. vii. 24. Luc. vi 48.* (c) *Cap. ix. 30*  
(d) *Luc. xiv. 30.*

LEM  
CHI-  
EDI-  
ONU-  
SUOS  
, vel  
CETO-  
SSIM  
HRI-  
REQ;  
IETI,  
; AU-  
ÆDI-  
INSI-  
UNC  
NEM  
PRO-  
DE-  
CUM  
PRIUS  
NTE,  
, &  
TU IN  
DIUI-  
NPÉ-  
CLESIA  
BABE-  
CADI-  
BUM  
IX, 30

## COLONIENSI.

verbum architectonicum significat, tum spiri-  
tuale quoddam incrementū ex mutua doctri-  
na atq; exemplis, tanquam lapidibus; tum pro-  
pagationem externā: quomodo Ecclesia rectē  
tum dici potuit ædificari. Istiusmodi Ædifi-  
candi metaphoræ sunt frequentes apud Paulū  
Apostolum, qui ijs mirificè delectatus videtur;  
& sumit illas tum in bonam, tum in malam par-  
tem, sicut Ædificatores sunt boni & mali: Ar-  
chitecti Sapientes & insipientes: structores pe-  
riti & imperiti. Inter peritos autem ut esses,  
Tibi, etiam cùm nondum ad altiora conscen-  
dis es, semper cordi fuit.

AT verò, Gymnasio litterario egressus alijs  
ornatus es titulis, SS. Theologiaz Doctoris, Pa-  
rochi, Ecclesia stæ: è quibus nullus est, qui non  
Architectum menti ingerat. Siquidem Eccle-  
siastes, Concionator, Catechista, Instructo-  
rarium, Pauli: sensu, est Architectus. Qui pro-  
phetat, inquit Gentium ille doctor, *hominibus*  
*loquitur ad Ædificationem, & exhortationem &*  
*consolationem.* (a) id est, qui prophetat: nimirum,  
qui Auditores promouet in cognitione & stu-  
dio pietatis, qui exhortatur & confortatur fide-  
les, ECCLESIAM DEI ÆDIFICA T, vt paullò  
post adiungit. Non intelligitur autē Prophetæ  
nomine Is, qui futura prædictit, vel abdita oc-  
culaque patefacit, vt communiter accipi solet

A 3 istud

(a) I. Corinth. XIV. 4.

## RECTORI MAGNIFICO

istud vocabulum ; sed , qui docet ac Mysteria  
Diuina explicat, qualis est Doctor Theologæ  
in cathedrâ, Ecclesiastes in suggestu , Catechi-  
sta in agro aut foro , Hic enim ex obseruatione  
Diuorū Ambrosij & Anselmi mentem Apostoli  
explicantium, analogiā retinēt Prophetarum.  
Quemadmodum enim Propheta futura , quæ  
ignorantur prædictit ; ita Magister Mysteriorū  
Euangelicorum , quæ Auditoribus suis ignota  
erant, in lucem profert , vt dicere possit illud  
Ecclesiastici: *Doctrinam quasi Prophetiam effun-  
dam, & relinquam illam quærentibus Sapientiam.*  
Illorum autem quilibet loquitur hominibus ad  
Ædificationem, aut, vt est in Græco, *λαλεῖ εἰκοδοσίην*  
*loquitur Ædificationem.*

Deus bone ! quam est ille peritus & sapiens  
Architectus, qui quicquid loquitur, est ÆDIFI-  
CATIO. Nimicum, nihil loquitur, certè nil  
deberet loqui, quod non spectet: conduceatque  
ad Ædificationem, id est, doctrinam sacram ac  
morum informationem. Et quoniam Doctoris  
Christiani doctrina ad praxim & mores in Cō-  
cionibus, ac Catecheticis instructionibus re-  
ferenda est, adiungit *Adhortationem*, & deniq;  
*Consolationem*. Siquidem Adhortatio animum  
addit ad arduam virtutis viam capessendā: con-  
solatio spem iniicit, & animos, vt loquitur S.  
Ambrosi⁹, firmat ac prouocat ad meliora. Hæc

fi

[a] Eccles. xxiv. 46.

## COLONIENSI.

si faciat Euangelicus Theologiæ Doctor, quam  
leum Te suspicit & veneratur Colonia, omnes  
Architecti Christiani partes egregiè explet, ut  
**EXIMIVS MAGISTER NOSTER** iure optimo,  
audire possit. Nam & docet, quæ ad benè bea-  
teq; viuendum valent; quod est Fidei Funda-  
mentum ponere; & præceptis moralibus, tanq;  
lapidibus parietes erigit. Tum verò accōmoda-  
tā Adhortatione, suauique Consolatione, ne  
Auditores rerum difficultate perterriti diffi-  
dant, animumque abiijcant, tectum imponit.

PRÆTER hos Titulos, ijsq; adnexa munera  
est alius, quem geris, ceterorum complementū  
vel vertex, & in Ecclesia DEI præcipuæ nō æsti-  
mationis modò, sed potestatis. Es enim in Cle-  
ro Coloniensi venerando PASTOR populi  
inter Ecclesiæ Præsides Curator animarum,  
nobilissimæ & antiquissimæ Parœciæ PARO-  
CHVS. Qui autem sunt tales, & officio satisfa-  
ciunt, dicere possunt ad suæ fidei cōmissos: **DEI**  
**sumus ADIUTORES: DEI Ædificatio estis VOS,** I.  
ad Corinth. tertio. (a) Quibus verbis innuit,  
DEVM esse Architectum primarium, cui operas  
locent aliqui, vt minus primarij, Architectita-  
men & ipsi: nempè, Apostoli, & Verbi Diuini  
Ministri alij, Viri Apostolici, quos appellat in  
Architectonicâ, *Adiutores DEI, Græccè, συνεργούς*  
**Cooperatores.** Vnde sibi suique similibus Archi-

A 4 tecti

(a) *Corinth. iii. 9.*

## RECTORI MAGNIFICO.

recti Titulum competere gloriatur Apostolus, dum subiungit; Secundum gratiam DEI, quæ data est mihi: id est, Ex gratia, ut Sapiens Architectus Fundamentum posui: alius autem SUPER AEDIFICAT. Quæ significant, Apostolos, & qui Apostolorum munere funguntur in Hierarchia Catholicâ, esse in Ecclesia Christi sicut in Republica sunt Architecti ad Aedificandum arte ac potestate instructi, & ad id destinati. Inter quos Paulus nomen profitebatur suum.

QUIPPE, qui, ut alibi loquitur, acceperat, à Deo Principe Architecto potestatē in Aedificationē, & non in destructionem, hoc est, ut prospicit, Ecclesiam seu fideles Aedificando, non ut obsit, lædendo. Ex quo deducit S. Chrysostomus Zelosissimus Antistes, illos, qui præsunt in Ecclesiâ, Episcopos, Curiones, Pastores, Rectoresq; animarum & hominum fidelium, potestatem accepisse ad Aedificationem, cui si quis ex subditis aut fidei suæ cōmissis obsistat ac relugetetur, qui alia ratione curari non possit, tum demum assumendum esse pedum Pastorale, ac seuerè agendum, multandumq; istiusmodi refractarium. At hoc est, obesse lædendo: ne aquam, siquidem hoc ipsum, ut monet Chrysostomus, est Aedificare: nimirum, q; Architectura præscribit; impedimenta de medio tollere, ut Aedificiū exsurgat felicius & celerius. Itaq; Ecclesiæ Præsides, eorumq; adiutores industrij, Parochi,

## COLONIENSI.

chi, sensu Pauli Apostoli sunt *Architecti Christiani*. An non ergo hæc sat iusta est causa TIBI Adm. R. Domine, dicandi Opus, quod Architecturæ Christianæ tractationem continet?

SED non est omittendū, quod cum Sermones Architectonici, qui hic referuntur, dicti sint Auditoribus Academicis, conuenienter sanè ad eorum Caput RECTOR EM MAGNIFICVM mittuntur. Qui Titulus eiusq; munus à Magnis quoq; Principibus in Germaniâ administratū, cùm Academicorum confiratione vnanimi TIBI iam dudum sit delatus, eundemq; laudabiliter, sæpius repetita confirmatione gesseris, & etiam-num eo honoreris, vt id quoque ad posteros transscribatur, non tam ad tui nominis æternam memoriam, quam ad Tui similium DD. Ecclesiasticorum incitamētum, Epistola hac dedicatoria testatum volui, DEV M OPT MAX enixè rogans vt nunquam esse desinas, qui hactenus semper fuisti, SAPiens in Ecclesiâ, quâ Vniuersali, quâ Colonensi ARCHITECTVS.

Addictiss.

in Christo

*Maximilianus Sandæus*

E Societate IESV.

A S R.R.